

**Dissertatio medica inauguralis de cynanche laryngea ... / eruditorum
examini subjicit Joannes Birt Davies.**

Contributors

Davies, John Birt, 1799-1878.
Beattie, William, 1783-1875
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat Joannes Moir, 1822.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/s6mu94wc>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



Dissertatio medica inauguralis de
Clark, John, d. 1853?; Royal College
Royal College of Surgeons of Eng
1691 | b22432371
Nov 11, 2015

Dissertatio medica
Sharpey, William,
Royal College of S
1693 | b2243
Nov 11, 2015

me ID

b22432371

7

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

CYNANCHE LARYNGEA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES BIRT DAVIES,

CAMBRO-BRITANNUS,

CHIRURGUS,

SOCIETATIS REGIÆ MEDICÆ EDINENSIS

PRÆSES SEN. ANNUUS,

ET

MEDICI SENIORIS IN VAL. REG. EDIN.

ADJUTOR DOMESTICUS.

Hic enim breve spatium est, intra quod, si auxilium non
profuit, aeger extinguitur.

Cels. Lib. III. p. 75.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXII.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

//.

DE

CYNANCHE LARYNGEA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES BIRT DAVIES,

CAMBRO-BRITANNUS,

CHIRURGUS,

SOCIETATIS REGIÆ MEDICÆ EDINENSIS

PRÆSES SEN. ANNUUS,

ET

MEDICI SENIORIS IN VAL. REG. EDIN.

ADJUTOR DOMESTICUS.

Hic enim breve spatium est, intra quod, si auxilium non
profuit, aeger extinguitur.

CELS. Lib. III. p. 75.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXII.

DISSERTATIO

IN

PHYSICIS

DE

PHYSICIS

DE

PHYSICIS

DE

PHYSICIS

DE

PHYSICIS

DE

PHYSICIS

DE

PHYSICIS

DE

PHYSICIS

DE

PHYSICIS

DE

PHYSICIS

DE

PHYSICIS

DE

PHYSICIS

DE

PHYSICIS

DE

PHYSICIS

JACOBO HAMILTON, M. D.

COLL. REG. MED. ET SOC. REG. EDINBURG.

SOCIO,

VALETUDINARII REGALIS EDINENSIS

MEDICO SENIORI,

SOC. REG. MED. EDIN.

SOCIO HONORARIO,

LYCEI MEDICI APUD PHILADELPHIAM

SOCIO EXTERNO,

&c.

JOANNES BIRT DAVIES

S. P. D.

*Tibi Magistro suo et Præceptori vix magis ob mutationes
insignes quas Arte Medica fecisti illustri, quam privatis vir-
tutibus ornato, has primitias suas in eadem arte editurum,
memoria consiliorum tuorum, et commodi ex perlongo con-
spectu scientiæ tuæ percepti, Alumnum tuum consecrare
impulit; idque non majis ut gratum animum ostenderet,
quam ut unam utique paginam tanto nomine ornaret —
VALE.*

JACOBO HAMILTON M.D.

1850

1850

1850

1850

1850

1850

1850

1850

1850

1850

1850

Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

AVUNCULO SUO

CHRISTOPHORO ARDEN, ARMIGERO,

APUD DURNIUM

CHIRURGO,

CUJUS SUB AUSPICIIS

PRIMUM AD ARTEM MEDICAM EXCOLENDAM

MENTEM ADHIBUIT,

HAS PAGINAS,

TENUE QUIDEM SINCERUM TAMEN

GRATI ANIMI TESTIMONIUM,

OFFERT

JOANNES BIRT DAVIES.

Mr Beattie -

from the Author

DISSERTATIO MEDICA,

IN AUGURALIS,

DE

CYNANCHE LARYNGEA.

AUCTORE JOANNE BIRT DAVIES.

PROEMIUM.

DE CYNANCHE LARYNGEA, ut qui morbus sit qui non nisi ante paucos annos apud medicos multum tractatus est, sermo longus esse non potest. Hoc malum in Nosologiâ Doctoris CULLEN locum sibi proprium non vindicavit; siquidem omnia quae ad hoc pertinent a CULLEN ad caput Cynanches Trachealis relata sunt. Cynanchen Laryngeam autem proprium malum esse, idque quod ab altero accuratissime discerni debeat, manifestum est, non modo ex diversâ curatione quam utrumque postulat, sed etiam ex vi

pestiferâ quam Cynanche Laryngea in quibusdam exemplis nuper exercuit; sub quibus natura morbi post mortem demum sectione corporum deprehensa est, verisimileque est discrimen, si antea factum fuerat, curationem morbi non mediocriter adjuvare potuisse. Quod si vero nuper admodum medici, post Doctores BAILLIE, CHEYNE, HOME aliosque, hunc morbum multum agitare caeperunt, idem tamen a BOERHAAVE et quibusdam aliis ex vetustioribus medicis non ex toto praetermissus est; quinetiam plurima de hoc vitio in eorum operibus invenimus quae recentiores annotârunt, quaeque his interdum laudem rerum inventarum conciliâsse videntur.

DE CAUSIS CYNANCHES LARYNGEÆ.

Hic morbus videtur potissimum afficere mares, eosque corporis firmi atque robusti, habitusque pleni, quique maxime diathesin (ut dicitur) inflammatoriam ostendunt. Om-

nia exempla quae a Doctore BAILLIE narrantur hujusmodi corporibus contigerunt : talis igitur fabrica corporis pro causâ predisponente morbi sumi potest ; idemque solet eos saepe infestare qui Cynanches accessionibus semel atque iterum jam laborârunt.

Quod ad causas autem excitantes pertinet, omnia quae inflammationem movere solent Cynanchen Laryngeam excitare possunt. Ex his, coeli tempestatisve subitae mutationes, vehementes aut calores aut frigora, maximè si aura frigidi aëris collo admota fuerit, aut si homo vestes madidas induerit, aut si in conclavi humido diu manserit, aut si pedibus humorem admiserit, ad haec vehemens exercitatio vocis aut spiritus, uti inter instrumenta musica flanda, praeterea fluxus soliti suppressi, vel si quando res aliaenae fauces intraverint, morbum excitare facile possunt ; neque silentio praetermittendum est hoc malum, secundum multos, ex lue venereâ vel ex hydrargyro admodum saepe proficisci. Quidam quoque

scriptores putârunt hunc morbum ex contagio interdum excitari, ideo quia plures in eâdem regione nonnunquam vexat; hoc vero parum verisimile esse mihi videtur; neque enim protinus ad contagium referendum est, si idem morbus plures, objectos iisdem proprietatibus loci vicissitudinibusque temperiei aliisque similibus, simul infestat, verùm potius ad res externas, quae omnibus communes sunt.

DE SIGNIS CYNANCHE LARYNGEÆ.

Hoc vitium plerumque ab horroribus alternisque caloribus incipere solet, qui tandem in acutam febrem desinunt. Cum hâc simul gravis dolor in gutture est, qui potissimum refertur ad sedem cartilaginis thyroideae; summa difficultas ingensque dolor est, cum sensu quasi constrictionis in gutture, ubi homo devorare vult; spiritus admodum gravis est, neque loqui aeger potest nisi sic ut susurret. His accedit sum-

ma anxietas in pectore, neque rarò mens alienatur; facies intumet atque livescit; oculi sanguine suffusi sunt et quodammodo protruduntur; pulsus celeres exiguique et duri sunt; lingua crustâ albidâ contegitur. Quod si fauces exploramus, saepe nihil reperendum est quod signa tam vehementia ullo modo explicat; nihil aliud frequenter aspicimus praeter levem inflammationem veli penduli palati uvaeque et tonsillarum, quae partes fortasse paulùm quoque intument.

Ut verò morbus procedit, spiritus magis magisque difficilis fit, maxime sub inspiratione, quae efficitur simili quodammodo sono ei qui in cynanche trachiali editur, quaeque magnam constrictionem laryngis ostendere videtur. Homo majore majoreque molestiâ devorat, tandemque omnino devorare nequit, quod ubi conatur, movetur gravis dolor, tussis vehemens, nisus ad vomendum spiritûsque aucta difficultas. Pulsus nunc tam exilis est, ut vix percipiatur; summa cutis frigescit; facies magis magisque livescit oculi

quasi ex orbitis protrusi videntur ; aegerque denique strangulatione rapitur.

Veruntamen morbus interdum, ubi levior est, solvi potest, saepeque solvitur atque homo ad sanitatem reducitur, Idem quoque potest fortasse tanquam caeterae inflammationes, in adhaesiones suppurationemque aut gangraenam desinere : nulla tamen exempla acutae Cynanches Laryngeae (quod scio) adhuc narrata sunt quae aliter terminata sunt quàm vel per strangulationem vel per resolutionem,

DE PROGNOSSI IN CYNANCHE LARYNGEA.

FACILE colligitur ex jam dictis prognosin in hoc morbo non temerè formandam esse ; quinetiam eandem, ubi morbus manifestus est propriisque suis signis indicatus, pene semper infelicem esse, eòque magis quò graviora signa sunt. Quod si inflammatio vehemens est, vox maturè intercluditur, homo devorare non potest, spiritusque summâ dif-

ficultate atque anxietate ducitur, maximè si haec signa diutius manserunt, solum restat suadere ut aspera arteria adaperiatur; id quod sine magnâ difficultate fit, tamen non semper, atque adeo rarò, respondet, anceps vero, uti inquit CELSUS, remedium melius est quam nullum; itaque id quod ullam, etsi tenerem, spem vitae praebet nullo modo praetermittendum est.

*DE DIAGNOSI CYNANCHES LARYNGEAE
AB ALIIS MORBIS.*

Hoc vitium a cynanche tonsillari facilè discernitur, ideo quia in priore inflammatio veli penduli palati tonsillarumque et uvae aut levis est aut nulla; in posteriore vero totum malum in hâc consistit. Neque faciliùs pro Cynanche pharyngeâ sumi potest; siquidem sub hâc nulla difficultas spirandi accedit. Cynanche autem maligna cognoscitur febre typho atque exulceratione, ex quibus neutra in Cynanche Laryngeâ se os-

tendit ; quae quidem, etsi fortasse cum uno ex his morbis, maximeque cum cynanch tonsillari, interdum conjungi potest, ita ut vix possimus dicere uter morbus magis urgeat, tamen haec confusio minus ad rem pertinet, propterea quòd medendi consilia (si modo cynanche tonsillaris gravis est) eadem in utroque sunt. Majoris autem negotii est discernere inter hunc morbum cynanchemque trachealem. Praecipua autem discrimina sunt quòd in priore summa difficultas devorandi est, vox maturè intercluditur, nulla tussis est, spiritus autem gravis, ita tamen ut sine sibilante sono ducatur. Sub posteriore verò sine molestiâ devoratur, atque vox ita non supprimitur ut admodum claugens sonoraque sit, tussisque proprium sonum habet quasi latratûs canis ; ad haec, homo inter spirandum sibilat, saepeque sensu urgetur quasi instantis strangulationis. Huc accedit quod cynanche trachealis longè saepius pueros malè habet ; adulti autem homines Cynanche Laryngeâ frequentius infestantur. Quod pertinet ad sectionem

corporum, in iis qui mortui sunt ex posteriore morbo, membrana mucosa quae glottidem, epiglottidem laryngemque contegit sedes morbi reperta est, strangulatioque accidere visa est ex effusâ lymphâ coagulabili quae, aut propemodum, aut omnino rimam glottidis interclusit. In cynanche tracheali verò, etsi inflammatio, ubi gravis est, serpere ad laryngem potest, tamen praecipua sedes ejus aspera arteria est, in quâ nova distinctaque membrana reperiri solet, quae introitum aëris in pulmonem prohibet, quaeque, simul cum spasmò (quem quidam scriptores semper accidere putant) strangulationem facit; neque enim semper iter aëris, in iis qui hoc morbo strangulati sunt, ita clausum est, ut per se exitium faceret.

DE CURATIONE CYNANCHES LARYNGEAE.

UBI consideramus quàm vehemens quamque maturè pestiferus hic morbus sit, facile patebit solam spem medici esse in curatione

pariter et validâ et maturâ : tam citò enim glottis contrahitur, ita ut spiritus trahi et emitti nullo modo possit, pulsusque celeres et exiles fiunt, (id quod semper accidit ubicunque mutationes quas sanguis in pulmone subire debet per aliquod spatium impediuntur) ut, nisi morbo inter ipsa initia occurrimus idoneis remediis, aeger citò extinguitur. Summum autem remedium in hâc, veluti in caeteris omnibus inflammationibus, sanguinis missio est, non modo ex brachio, sed ex ipsâ parte ; atque ita reperimus omnes paene medicos qui hunc morbum curârunt sanguinem majore minoreve copiâ mississe, tamen videtur, plerosque propter levem ut videbatur inflammationem, satis sanguinis rarò detraxisse. Quicumque enim metus sint animi defectionis, ex detractio sanguinis, vel sequentis infirmitatis, unde hydropes vel plurima alia mala proficisci possunt, tamen hi omnes cedere debent justo terrori inflammationis tam terribilis ; neque dubitandum est quin solum, aut certè praecipium, praesidium in sanguinis mis-

sione sit. Postulat quidem fiduciam non mediocrem usumque diuturnum audere mittere simul tantam copiam sanguinis quanta sufficiat ad morbum discutiendum; hanc vero magnam esse debere constat ex exemplis morbi quae memoriae tradidit Doctor BAILLIE, in quibus omnibus missio sanguinis, etsi copiosa fuit, tandem minus copiosa fuisse videtur quàm res postulavit. Subjiciam verbis ipsius Doctoris BAILLIE, "As
" the inflammation is phlegmonic in this
" disease, it may be advisable, at the very
" beginning of the attack, to take away so
" much blood as at once shall produce
" fainting. It is possible that benefit may
" be derived in this way, although large
" bleeding, in the common way, was of
" no use in the cases which I have re-
" lated." Ego igitur, tanta auctoritate nisus, mitterem sanguinem in Cynanche Laryngeâ, si modo morbus propriis suis vehementibusque signis denotaretur, in recumbente positurâ corporis, vel ad animi defectionem, vel certé donec signa leniora redderentur;

idque iterum tertioque facerem, quoties haec ingravescerent.

Post sanguinis detractionem, medicamenta purgantia vulgò data sunt; atque ex his efficacissimus esse videtur submurias hydrargyri, vel per se ab octo granis ad viginti, vel cum jalapâ conjunctus. Hoc enim medicamentum, praeter quod alvum validè purgat, fluxumque humorem eò movet, propriam quandam facultatem habet vasa partis inflammatae ita affiendi ut certius celeriusque ad pristinas actiones redeant. Verum quidem est submuriatem hydrargyri, si ingenti copiâ datur, vomitum non rarò movere; credo tamen eundem ad grana decem satis tuto plerumque dari posse, neque ullus metus est ne vomitum moveat, nisi in quibusdam febribus, sub quibus ventriculus admodum irritabilis est, omniaque pariter respuere solet. Hoc igitur incommodum nobili medicamento objici non debet; dum rursus omnibus confitendum est idem, idoneis copiis datum, summoperè prodesse,

movendo languorem totiusque corporis relaxationem quae plurimum valet ad inflammationem depellendam. Quod si verò, uti dixi, ventriculus vehementer irritabilis est, possumus commode submuriatem hydrargyri cum exiguâ copiâ opii conjungere, fortasse ad quadrantem grani; id quod, ut fert mea experientia, magis proficit quàm si opium majore copiâ dederimus.

Post purgantia vesicatoria, toti exteriori parti gutturis admota, laudari solent; sed tamen in multis exemplis, maximèque in iis quae narravit Doctor BAILLIE, haec parum aut nihil profuisse videntur. Quinetiam, non modò in hoc morbo, sed in plerisque aliis inflammationibus, paulò plusculum, at mihi videtur, vesicatoriis tributum est; neque injuriâ horum usus a multis peritissimisque medicis nostris temporibus praetermittitur, in iis affectionibus quae potissimum vesicatoria exigere olim putabantur. Non negandum quidem est plurimum adjuvare interdum fluxum sanguinis a par-

te inflammata avertere, sic ut ad summam autem depellatur; vesicatoria autem, in hoc morbo, fluxum sanguinis potius ad collum propellere, quàm inde avertere mihi videntur: sequiturque igitur ut membrana mucosa quae laryngem vicinasque partes contegit par incommodum ex hoc habeat ulli commodo quod ex vesicatoriis sperare licet. Praeterea Vesicatoria, in omnibus paene corporibus, plus minus generalis irritationis movent; neque raro corpora invenimus, in quibus pessimos effectus edere solent, Ego ipse duos homines vidi, qui ex vesicatoriis molestissimis inflammationibus erysipelatos aliquamdiu vexati sunt. Quod si verò vesicantibus remediis, in hoc morbo, uti volumus, melius haec fortasse ex tartarate antimonii quàm ex meloe vesicatorio faciemus; id quod judico, quia unguenta ex priore medicamenta in cynanche tracheali atque pertussi plurimum laudata invenio.

Sequitur vesicatoria balneum, quod re-

medium validum est in hâc, veluti in ple-
risque inflammationibus ; ut quod cir-
cuitum sanguinis aequalem reddat, por-
tionemque ejus a parte vitiatâ avertat,
atque ad summam cutem evocat, dum si-
mul totum corpus, mirum in modum,
sedet. atque relaxet, id quod plurimum
prodesse in inflammationibus curandis jam
dixi. Lugendum quidem est, tam va-
lens remedium nisi in valetudinariis pub-
licis, adhiberi rarò posse, aut certè ita adhi-
beri ut plenum commodum ex ea percipia-
mus : neque enim non longe plus mali quàm
boni efficiat necesse est, si homo, non proti-
nus ut e lecto assurgit, in eo immititur, sed
longas scalas prius transit, atque fortasse ex
ipsâ domo egreditur, quàm descendere in
eo potest. Balneo proximum est fomen-
tum ; verùm hoc ex naturâ partium affecta-
rum, parum commodè in Cynanche Laryn-
geâ usurpatur.

Quod ad vomitoria pertinet, pauca habeo
quod dicam. Haec quidem adjuvare pos-

sunt, ut quae in cynanche tracheali plurimum adjuvent. Veruntamen vehementes conatus, qui inter vomendum fiunt, fluxum sanguinis partem inflammatam versus non augere non possunt; quo nomine fortasse vomitoria, si tantâ copiâ dantur ut plenum vomitum moveant, plus mali fortasse quàm boni efficiunt. Eadem autem, si ita dantur ut nauseam solam faciant, eodem modo quo submurias hydrargyri atque balneum, admodum proficere possunt, non modo universum corpus relaxando, verùm etiam humorum cursum ad corporis superficiem propellendo, atque ita ducendo a parte propriè laborante. Ad haec consilia nullum medicamentum melius est quam tartras antimonii, nullumque quod tam certis beneque aestimatis copiis dare possumus. Hujus igitur quadrans grani admodum commodè conjunctioni opii cum submuriate hydrargyri, quam modò laudavi, adjicitur; parum bene quidem fortasse si leges chemicas spectamus, optimè verò si utilitatem.

Hic verò vix licet omittere medicamentum validissimum ad omnes inflammationes, praecipue verò pulmonis atque vicinarum partium, depellendas. Acidum Prussicum dico, quod a Gallis primò usurpatum, nuper a GRANVILLE plurimum laudatum est in omnibus hujusmodi malis, et fortasse summo jure. Verisimile igitur est, quod tantopere prodest in similibus morbis, id in Cynanche Laryngeâ esse quoque profuturum: itaque hoc quoque dare licet, sic tamen ut sanguinis missionem alvique purgationem et caetera hujus modi nullo modo praetermittamus. Modus autem quo operatur videtur esse tanquam remedium sedans, ut quod actiones cordis et arteriarum plurimum comprimat. Ad hoc propositum digitale plurimum valere diu cognitum est; itaque hanc quoque dare in Cynanche Laryngeâ, si videtur, licet.

Haec igitur praecipua remedia sunt quae, citra artem chirurgicam, tentare possumus: sin verò haec spem fefellerunt, homoque

non levatur, maximè si difficultas spirandi major fit, licet scire hominem citò strangulatione perituum esse nisi ad manum et ad ferrum decurritur. Hoc igitur apertura in aliquâ parte itineris aëres ad pulmonem fit, per quam spiritus trahi et emitti potest, donec inflammatio, quâ naturale ostium intercluditur, satis soluta fuerit ut respiratio solito modo perficiatur. Quod pertinet ad hanc aperturam faciendam, duae res potissimùm considerandae sunt, primò quo tempore haec fieri debeat, deinde quis locus maximè idoneus sit ut perforetur. Quod ad priorè quaestionem, si volumus ut remedium aliquid boni efficiat, manifestè oportet, ut ego existimo, maturè admovere, antequam aegri vires ita fractae sunt ut recuperari non possint, homoque planè confectus est vehementibus atque inutilibus conatibus ad spiritum ducendum. Est quidem hoc praesidium semper plus minus periculosum; nulla tamen causa est cur periculum adaugeamus, hoc differendo in id tempus ubi homini maturius exitium afferre potest, eri-

pere exitio nullo modo potest. Itaque manus tum admoveri protinus debet cum caeteris remediis confidere desiimus, homoque manifestè periturus esse videtur nisi ad anceps remedium, ut modo dixi, confugiemus. Quinetiam de hâc aperturâ faciendâ, non secus atque de incisione partium ad herniam incarceratam reducendam, illud existimo, quòd major illa laus quam Galli caeterique Europaei in his rebus assecuti sunt, pendet, non tam ex majore solertiâ quâ manus admovetur, quàm ex maturiori tempore quo ad id ultimum remedium decurrere solent. Secundum Doctorem BAILLIE, si morbus jam horas triginta perstiterit, neque remedio cuique validissimo ullo modo cesserit, si difficultas spirandi eadem, vel etiam major, est, si oculi protruduntur, faciesque livida est, nullum tempus amittendum est quominùs continuò ad aperturam arte faciendum confugiamus. Multos quidem res prohibent nequa lex generalis de hâc re inculcari possit; quantum verò po-

test, nescio an melior quàm quae supra dicta est proponi possit.

De loco autem quo iter aëris secari debeat tres loci maximè ad id propositi sunt; ex quibus primus est per ipsam cartilaginam thyroideam, alter per id spatium quod inter cartilagines, thyroideam cricoideamque est, tertius verò ad tertium quartumve aut quintum circulum asperae arteriae. Hi omnes loci propria sua incommoda pariter atque commoda habent. Primum autem Cl. TRAVERS nunquam idoneum esse arbitratur; non modò enim portiones cartilagines interdum, atque adeo saepe, in os convertuntur non modo periculum est ne chordae vocales vulnerentur, sed etiam summa molestia in Cynanche Laryngèâ oritur ex tumidâ crassâque conditione membranae internae, quae aut introitum aëris prohibere, aut profluvium sanguinis in laryngem efficere potest: praeterea ab hâc parte membrana magis irritabilis quàm ab ullâ aliâ est; itaque omnibus nominibus hic locus parum

aptus esse videtur. Quod pertinet verò ad spatium inter cartilagineas, hic quoque membrana, minùs quidem, aliquantùm tamen, adhuc irritabilis est; minoribus verò incommodis fortasse patet is locus quàm tertius; quem si selegimus metus est ne vulneremus, a parte superiore isthmum glandulae thyroideae, a parte inferiore quaedam ex magnis vasis sanguiferis, unde summum profluvium sanguinis, atque ita mors ipsa, proficisci potest. Hic quoque loci integumenta tam crassa sunt ut incommodum plurimùm adun-geant; sed tamen in his omnibus multum permittendum est opinionibus ipsius chirurgi; unusquisque enim eum modum operandi semper maximè laudat qui sibi ipsi ex usu facillimus est.

FINIS.

